

pronuntiato, jactis coram Principe ac Sexviris fortibus, ei 1574
civem in Senatum adlegendi prærogativa obtigit; Jacobum-
que Contarenum, morum probitate ac doctrina conspicuum
civem, nuncupavit, cui mille atque amplius suffragiis, fre-
quentissima enim ea die comitia erant, reliquis præteritis com-
petitoribus, ea dignitas est delata. In eadem comitii aula al-
tera die, ammotis subsellis, tripudia ac saltationes habitæ.
in quibus præcipuæ ac spectatæ pulchritudinis matronæ, omni
muliebri mundo ornata, sumptuaria lege solutæ, adfuere.

*Jacobus
Contare-
nus ab
Henrico
Senator no-
minatus.*

Verum quod præstantia ac novitate reliqua antecellere Hen-
rico visum est, Navale publicum fuit, navigiis, tormentis,
armis, nitrato pulvere, omnique bellico apparatu peregre
instructum. Quæ omnia tot sæculorum spatio sedula industria
ac virtus cogere potuerat, singula admirabili ordine digesta
conspiciebatur. Ingens fabrorum cum lignariorum, tum ferra-
riorum, architectorum, nautarumque numerus, qui omnes
publico ære aluntur, statisque horis ad artes suas exercendas
confluunt, in eo ambitu, qui trium fere passuum millium cir-
cuitu extenditur, cernere erat. In officinis opifices insudare,
tormenta infundi, fistulas ferreas, pilas effingi, thoraces, cas-
sides, galeas formari. In amplis atque præaltis fornicibus tri-
remes ducentæ, quinquereemes quatuordecim erant, ita aptatæ,
ut a solis ardore æstate, hyeme vero ab imbrium ac vento-
rum injuriis tutæ essent; biremes ad hæc, scaphæ, celoces, lin-
tres, in quibus singulis contemplandis mira voluptate Regis
animus perfundebatur. Inter hæc turcicas triremes, relatasque
hostium ex superiori victoria exuvias ac spolia videre licuit.
Quodque nobili atque eximio spectaculo extitit, ita omnia ad
triremem conficiendam ex composito parata fuerant, ut mo-
mento fere ab inferiori carina usque ad malum, incitante ac
certante opificum industria, perficeretur. Ut autem nihil ad
Regis demerendum atque oblectandum animum relinqueretur,
Decemvirum permisso, a populo ad Carmelitarum pontem pu-
gnæ simulachrum ligneis fustibus editum est, quod priscae me-
moræ vestigium ludicrorum plebis certaminum adhuc reti-
netur: eam pugnæ imaginem non absque voluptate in Ja-
cobi Fuscarenæ ædibus inspexit. Octo igitur diebus exactis,
cum Ferraria iter in Galliam arripere Henricus statuisset, a